

6o Transformandi cathedram ex qua sacerdos, tanquam Dei legatus, nonnisi sermones Dei loqui debet, in cathedram nummularii, venerandum missae sacrificium interrompendo, ut pios fideles vexet per querimonias, importunas postulationes, iracunda vituperia, contumelias expresso vel aequivalenter designato nomine personae, comminationem privationis sacramentorum etiam in articulo mortis, excommunicationes auctoritate propria non solum contra eos qui ipsi resistunt, fulminatas, sed aliquando per diabolicam crudelitatem contra innocentes ipsorum familias.

7o Vacandi negotiationibus illicitis, in quibus frequenter adest etiam peccatum contra justitiam strictam, ex eo quod prudenter timendum est, ne societas cujus est membrum lucra injusta acquirat, vel ne, in casu mali successus, creditores societatis damna patiantur injusta.

8o Colligendi peculia famulorum et ancillarum, ut inde lucrum plus vel minus honestum sibi obtineat, nonnunquam cum periculo totum perdendi.

9o Exponendi talibus periculis ipsam ecclesiae pecuniam, inconsulto episcopo.

Praeterea ex his omnibus oriuntur : — 1o — suspiciones circa ejus probitatem in administrandis bonis ecclesiae, scholarum, confraternitatum, etc. ; — 2o — diminutio oblationum, de quarum recto usu non constat ; — 3o — contemptus praedicationis et neglectus sacramentorum ; — 4o — periculum ne episcopus contemnatur, quia falso supponitur illum tacite approbare talia scandala, etiam ubi non potest illa impedire ; — 5o — omissio eleemosynae, etiam quando sub gravi fieri deberet, etc.